

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

De praeparatione Veneris. Cap. XVI

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

hanc induratur ejus substantia magis, quod Saturno non evenit. Et jam per alumina similiter, ut supra narravimus. Hæc enim proprie Jovem indurant. Altera verò per conservationem ejus in igne suæ calcinationis. Per hanc enim stridorem amittit & corporum similiter fractionem; quod Saturno similiter non contingit; quia stridorem non habet, nec corpora frangit: Et per calcinationis & reductionis reiterationem; similiter ab acuitate salis & aluminum stridorem amittit. Saturni vero secundario est præparatio specialis; scilicet per calcinationem & salis acuitatem. Per hanc enim induratur & dealbatur. Induratur & similiter per Marchesitam & Tutiam. Modos verò omnes præparationum determinavimus completius in libro, qui de perfectionis inventione intitulatur, cap. 13 quoniam in hoc abbreviavimus summas illarum.

De præparatione Veneris.

CAP. XVI.

IMitantes igitur præmissorum ordinem, duorum corporum præparationes narremus. Primo igitur Veneris: Deinde verò Martis: Est igitur Veneris multiplex præparationis modus: alius quidem per elevationem: alius verò sine elevatione perficitur.

tur. Per elevationem verò est modus, scilicet ut accipiatur Tutia cum qua Venus magis convenit, & cum ea per ingenia uniatur. Deinde verò in suo sublimationis vase ponatur ad sublimandum: & per excellentissimum gradum ignis, ejus elevetur pars subtilior; quæ fulgidissimi splendoris inventa est. Vel cum sulphure miscetur per minima & postea elevetur per modum suum elevationis jam dictum. Sine sublimatione verò præparatur, aut per res mundificationem facientes; aut in calce sua; aut in corpore velut tutia, sales, & alumina; aut per argenti vivi lavacrum, cujus modum attulimus; aut per calcinationes & reductiones, ut in aliis narratum est; aut per solutiones & reductiones ejus quod solutum est, ad naturam corporis; aut per argenti vivi lavacrum mundificatur, sicut & corpora reliqua à perfectione diminuta.

De præparatione Martis.

CAP. XVII.

MArtis verò præparatio est similiter multiplex. Quædam enim per sublimationem: quædam verò sine sublimatione completur. Quæ verò per sublimationem, fit cum arsenico: cujus modus hic est. Ingeniemur quam profundius possumus
eidein